

cum primum transeamus bis ant ter eum versum; deinde imaginibus verba exprimamus. Hoc modo naturae suppeditabit doctrina. Nam utraque ex altera parata magis erit firma; ita tamen ut multo plus in doctrina atque arte praesidii sit. Quod docere non gravaremur, ni metueremus, ne, quum ab instituto nostro recessissemus, minus commode servaretur haec dilucida brevitas preeceptionis.

Nunc, quoniam solet accidere, ut imagines partim firmae et ad monendum idoneae sint, partim imbecilles et infirmae, quae vix memoriam possint excitare: qua de causa utrumque fiat, considerandum est; ut, cognita causa, quas vitemus et quas sequamur imagines, scire possimus. Docet igitur nos ipsa natura, quid oporteat fieri. Nam si quas res in vita videmus parvas, usitatas quotidianas, eas meminisse non solemus: propterea quod nulla nisi nova, aut admirabili recommovetur animus. At si quid videmus, aut audimus egregie turpe, aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridiculum, id diu meminisse consuevimus. Itemque quas res ante ora videmus, aut quod recens audivimus, obliviscimur plerumque; quae acciderunt in pueritia, meminimus optime saepe: nec hoc alia de causa potest accidere, nisi quod usitatae res facile e memoria elabuntur, insignes et novae manent diutius. Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipses solis mirantur, quia raro accidunt; et solis eclipses magis mirantur, quam lunae, quoniam hae crebriores sunt. Docet ergo se natura vulgari, et usitata re non exsuscitari, novitate et insigni quodam negotio commoveri. Imitetur igitur ars naturam, et quod ea desiderat, inveniat; quod ostendit, sequatur.—Nihil est enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, exitus disciplina comparantur. Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest. Id accidet, si quam maxime notatas similitudines